Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Deo Regi Aeterno Vita necisque mortalium Domino Sacrum Cujus ...

Dietrich, Ursula

[s. l.], 1662

[Fließtext]

urn:nbn:de:bsz:31-136719

Visual Library

.1662. 39½.

DEO REGI ÆTERNO

Vita neciſque mortalium Domino

SACRUM.

Cujus aſpectus Te beat,
Cujus amor Te ſatiat,
Cujus manus Te tutatur,
O MEA, MEA
MATRONA, MARITA, ANIMA.
Dei Te munus pretioſum,
Dei Te opus gratioſum,
Dei Te pignus omni læto fauſtoque
Nomine dignum,
Ah quàm nollem triſti verbo dicere
Habui.
O acerbas fortunæ vices!
Non ſum ille, non ſum qui fui,
cum potui dicere
Habeo Te, ô MEA *URSULA*,
Quæ dotibus ſexum, moribus ſæculum vincis,
O dulciſſimum marito levamen,
O decorum liberis præſidium,
O generis gloria, domus columna,
Sanctimoniæ, Caſtitatis, Induſtriæ ſpecimen,
Ah quæ verba exprimant illas dotes,
quæ laudes æquent illa merita,
quæ me tuum, Te meam faciunt.
Jd enim in perpetuum me dicere debere memini,
Licet mei non ſatis meminerim,
nec qui ſim nunc queam dicere,
poſtquam fructus in memoriam, felicitas
in deſiderium ceſſit.
Tuus, dico, ſum, Te amo, Te cogito,
AD TE ASPIRO!
Te in octo Liberis exoſculor,
Tuo nomini & memoriæ quantus poteſt
à me honos habetur,
Tuam ætatem non annorum XXXV. numero
ſed virtutum perfectione,
Tuum Conjugium non XV. æſtatibus,
ſed meritorum amplitudine computo,
O MEA VITA, MEA LUX, MEA *WENCKERIA*
VALE ET SALVE!
à Tuo

DOMINICO DIETRICH.

cond: rog: D. I. H. B. P.